

Gammelschod 4

Pr  
1.  
2. 0  
3.  
4.  
5. 0  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.  
20.  
21.  
22.  
23.  
24.  
25.  
26.  
27.  
28.  
29.  
30.



# Præsides

1. Booris De Germania jurisprudentia sua <sup>Domestica</sup> nunquam destitit.
2. Mascon - Ingenio judicis.
3. Kestner - lege continui in natura.
4. Müller - fictionibus tam hominis quam juris.
5. Müller - Actionum juris Rom. usu antiquo non. usu moderno.
6. Willenberg - votorum pluralitate non concludente.
7. Cyncker - jure secundi.
8. Schwendendorfer - privilegiis virginum.
9. Avarius - patientia juridica.
10. Brueschenet - Compensationibus.
11. Carpor - pactis successorias.
12. Berger - jure personarum.
13. Müller - rationibus in folle.
14. Hedler - jure hominis bicapitis.
15. Hedler - Curatore godinarum.
16. Decher - ad leg. xxxix. frater a fratre de condit. indelit.
17. Ziegler - juribus Judeorum.
18. Frieze - thesauris arte magica invento.
19. Wölcher - privilegiis adiosis et poenalibus.
20. Griesen - juris Sax. prov. compilatione.
21. Frieze - emulatione.
22. Beyer - cunctantia minorum jurata.
23. Seip - jure occupandi exubias defunctorum.
24. Klüver - jure canum.
25. Engelbrecht - pecunia collat. jur. deservitior. & communis.
26. Thetius - jure retentionis.
27. Heidler - jure retentionis.
28. Stricker - censur. per libros censuales probatione.
29. Foepfer - servitute rustica agrorum incultor. cultura prohib.
30. Thomajuel - fideiussores indemnitatis.

00  
w.

L 208,

2

D. GOTTFRIDI MASCOVII  
IVR. NAT. ET GENT. P. P. ORD.  
DE  
INGENIO IVDICIS  
EPISTOLA

*occasione L. 9. §. 2. D. de Offic. Procons. et L. 19. D.  
de Offic. Praef.*

---

AD ILLVSTRISS. DOMINVM  
IOANNEM VIGILIVM S. R. I. COMITEM  
DE THVNN ET HOCHENSTEIN ETC.  
E LIPSIENSI ACADEMIA  
ABEVNTEM.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

D. GOTTFRIED WASSOVII

INGENIO IUDICIS

LIB. I. CAP. I.

JOHANNES WASSOVII  
H. O. P. P.

JOHANNES WASSOVII S. R. I. COMITUM

OF THINGEN ET BOCHENSTEIN

ACADEMIA

LIB. I. CAP. I.

—————

LIB. I. CAP. I.

FR. OFFICINA I. A. G. P. P.





I.



Tertius annus agitur, Illustrissime Comes, ex *Occasione In-*  
*stiti.*  
quo Academiae huic singulari fuisti orna-  
mento, propter incredibilem discendi ar-  
dorem, cum omni virtute atque humanitate  
coniunctum. Recedis nunc a nobis, et, si recte me augu-  
rari finit generosae indolis et doctrinae in Te praestantia,  
arte aequi et boni, quam apud nos sincere et sine fuce di-  
dicisti, praecellenter iuuabis Reipublicae commoda. Ita-

A 2

que

que quum saepe inter nos inciderit sermo de INGENIO LEGVM siquidem omnium manibus teritur, \*) nunc de INGENIO IVDICIS, in exitu studiorum nostrorum, quaedam ad Te perscribere animum induxi. Quamquam scio, me nihil hic noui, et quod non ante perspectum habeas, adferre posse. Quo enim ingenio, qua indole Virum Ciuilem, et iudicem inprimis esse conueniat perfectissimum, exemplum domesticum Tibi suspicere contigit, in Reuerendissimo et Celsissimo Principe, EPISCOPO GVB-CENSI, Patruo Tuo, quum Romae, in aedibus eius, Ministri Regii, et Auditoris simul Rotae Romanae munere fungentis, per aliquot degeres annos.

## II Oc-

\*) *De l'Esprit des loix.* Contra quem librum quum in Memoriis Treuoltiensibus animaduersio edita esset, prodiit nuper *Défense de l'Esprit des Loix.* Sed etiam in Anglia duo Scripta contra eundem librum publici iuris facta sunt. Alterius titulus est:

*Examen of the dangerous Principles, contained in a book, lately published, entitled L'Esprit des Loix. Alterum inscribitur: Enquiry into the Nature of the Roman Law so far as it has Conhexion with the Constitution of their Civil Government: wherein is particularly shewen the gross Blunder, the Author de l'Esprit des Loix has fallen into, on that Head.*



II. Occasionem differendi de INGENIO IUDICIS Ingenium Iudicis quid?  
 dederunt Leges duae, rem in eo maximi momenti ponentes. Altera est L. 19. D. de Officio Praefidis. *Observandum est ius reddenti, ut in adeundo quidem facilem se praebeat, sed contemni non patiatur: unde mandatis adiicitur, Ne Praefides prouinciarum in ulteriorem familiaritatem prouinciales admittant. Nam ex conuersatione aequali contemptio dignitatis nascitur. §. I. Sed et in cognoscendo neque exandescere aduersus eos, quos malos putat, neque precibus calamitosorum illacrymari oportet. Id enim non est constantis et recti iudicis, cuius animi motum vultus detegit. Et summam ita ius reddet, ut auctoritatem dignitatis INGENIO SVO au-geat.* Altera L. 9, §. 2. D. de officio Proconsulis. *Circa Aduocatos patientem esse Proconsulem oportet; sed CVM INGENIO, ne contemptibilis videatur.* Inter ingeniosos autem et hebetes id interest, quod illi in morbum, ut aes Corinthium in aeruginem et incidunt tardius, et recreantur ocyus, hebetes non item. Videamus igitur, quid moliri, quod eniti debeat iudex, vir bonus, ut adipiscatur laudem ingenii. Adipiscetur certe, si et coercere animi perturbationes didi-

cerit, et simul in anfractibus iuris iustitiam consequi, tueri et promouere doctus sit; et praeterea in omni parte officii singularem aliquam dexteritatem atque aptitudinem, pro indole cuiusuis negotii adhibere nouerit.

*Exitus iudex  
partium studia.*

III. Ante omnia quidem iudicis est, habere in consilio religionem, aequitatem, fidem; odium autem, inimicitiam, metum, cupiditatesque omnes amouere: ut non a dolo modo, sed culpa etiam omni, quam longissime absit. Quoties igitur beneuolentiae rationes animum iudicis in partes vocant, hoc eum ingenio uti oportet, ut a mente sua semoueat adiunctionem voluntatis, qua alias in potentes, qua in amicos, qua in consanguineos, qua in adfines ferri sueuerat. Crebra et multiplex est horum commodis inferuendi facultas. Amicitiam igitur alio loco et tempore selectetur, profuturus suis sine damno iustitiae. Inimicum autem, inuisum propter offensas, obtentu iustitiae, dum similitates pro magistratu exerceas opprimere uelle, ut foedum inceptu, sic exitu triste esse solet. Nam sagax est inimicorum suspicio et exitialem quaesitura vindictam, si fieri possit, ut partium studii iudex conuincatur. Numquam praeterea

terea amicos ex inimicis feceris felicius, quam si ea sis animi magnitudine, vt, quum nocere impune possis, prodesse iis magis velis, patiente id causae bonitate et indole. Quare partium ante omnia studium, siue id ex gratia, siue ex inimicitia proficiscatur, seponat iudex, memor, Deo, et Reipublicae haberi iudicia. Hinc arae adeo olim in Curia et in Tribunali positae, ad quas iurarent Patres et iudices, se pura mente iudicasse. \*) Hinc et sacramenti illa religio, qua omnes, qui in Magistratum, iudiciumque recipiuntur, adstringi solent. \*\*)

IV. Sed in iudicium quoque animos irrepit auaritia, si *Et privati commodi.*  
forte ita natura comparati sunt, vt eum solum virum beatum

\*) Ita apud TACITVM Histor. Lib. IV. cap. 21. *Senatus, inchoantibus primoribus, iusurandum, concepit, quo certatim omnes magistratus, ceteri, vt sententiam rogabantur, Deos testes aduocabant, nihil ope sua factum, quo cuiusquam salus laederetur, neque se praemium aut honorem ex calamitate ciuium accepisse.*

\*\*) Terribilem formam Iustinianus praescripsit NOV. VIII. Tit. 3. *Et aequus in causis utrique parti, et in publicis disciplinis ero, nullique parti citra quam iustum est, praestabo. Si vero non hoc ita seruauero, recipiam hic et in futuro saeculo, in terribili iudicio magni Domini Dei, et Saluatoris nostri Iesu Christi, et habeam partem cum Iuda, et lepra Giezi, et tremore Cain.*

tum esse censeant, qui valde locuples sit. Subtiles illa meatus habet, nec vna specie mortalium mentibus illudit: vt iusta facile videatur lis, etiam iniquissima, si emolumentum aliquod inde ad se redituum contemplari coeperit iudex. Noti sunt sic dicti *Casus pro amico*, et fuere in Iudiciis, inque foro, qui stellula sibi notarent leges, quas in vtramque sententiam flecti posse acceperant. Sed ostendit, qui concessit eiusmodi casus pro amico, praestanti sapientia et scientia Iuris consultus, CASPAR BITSCHIVS \*) fundamentum eorum, non in legum ambiguitate, sed in interpretum astutia quaerendum esse. Solicite huic corruptioni obuiam itum in legibus, quibus prouisum, ne quid praeter esculenta \*\*) et Xenia \*\*\*) caperent Praesides Prouinciarum, quibusque L. Iulia Repetundarum aduersus eos, qui pecuniam in magistratu accepissent subinde exasperata fuit.

\*) CASPAR. BITSCHIVS in *Decade Casuum pro amico*, quae prodit Argentorati 1650. 4.

\*\*) L. 18. D. de Off. Praesidis. *Plebiscito continetur, ne quis praesidum munus caperet, nisi esculentum potulentumue, quod intra dies proximos prodigatur.*

\*\*\*) L. 6. §. 3. D. de Off. Procos. *Non vero in totum Xenii abstinere debet Proconsul, sed modum adiicere, vt neque morose in totum abstineat, neque auare modum Xeniorum excedat.*

fuit. \*) Sed non expectat legem generosa mens, co-  
que splendidior memoria Magistratus, quem M. Tullius  
Cicero in Cilicia gessit, quod ne quidem ea, quae per le-  
ges capere potuisset, accepit. \*\*) Talem incorrupti iudicis  
imaginem praeclare expressit *Vernisimus Vates*. \*\*\*) Cui  
*animus*, inquit,

*Rerumque prudens, et secundis*

*Temporibus, dubiisque rectus:*

*Vindex auarae fraudis, et abstimens*

*Ducentis ad se cuncta pecuniae:*

*Consul-*

\*) L. I. et 4. C. ad L. Iuliam Reperundarum.

\*\*) Ipse CICERO ad Atticum Lib. V. ep. 16. *Quid quaeris? raderet  
omnium nos vitae. Leuantur tamen miserae ciuitates, quod nullus  
sic sumtus in nos, neque in legatos, neque in quaestorem, neque in  
quenquam. Sciro non modo nos foenum, aut quod lege Iulia dari  
solet, non accipere, sed ne ligna quidem: nec praeter quatuor  
lectos et rectum quemquam accipere quidquam: multis locis ne re-  
ctum quidem, et in tabernaculo manere plerumque. Itaque incre-  
dibilem in modum concursus sunt ex agris, ex vicis, ex domibus  
omnibus. Me hercule etiam aduentu nostro, reuiuiscunt iustitia,  
abstinentia, clementia tui Ciceronis.*

\*\*\*) Carm. IV. 9.

*Consulque non vitus anni; non bis*  
*Sed quotiens, bonus atque fidus*  
*Iudex, honestum praetulit utili, et*  
*Reiecit alio dona nocentium*  
*Voltu, et per obstantes ceteras*  
*Explicuit sua victor arma.*

*Absesse a iudice debet ira.*

V. Iusti autem rectique tenacis iudicis est, animum ab omni quoque perturbatione, et affectu impatientiae, feritatis, et impotentiae, quae longissime abesse debent a iudicio, liberum seruare. Officium enim est plenum sollicitudinis, et qui praesto est multis, multorum stultitiam peti, arrogantiam perferre, difficultates exorbere debet. Quare nec in cognoscendo excandescere iudicem oportet aduersus eos, quos malos putet, nec indignari rusticitati partium ipsarum, nec strophis vel segnitiei caussidicorum; sed lancem aequi iudicii teneat, aut ad amicam transactionem litigantes adducat. Multa quidem ad curandum hunc animi morbum, non Philosophi modo, sed Medici etiam commendarunt,\*) quae

\*) Conf. HIERON. DONZELLINI *remedium ferendarum iniuriarum*, fol 48. editionis Venetae 1586. 4.

quae hic describere superuacuum foret. Vnum non praetermittam, ne quid irati decernamus, sed mora intercedat, qua se colligat animus. Quo pertinet illud Philosophi veteris, qui, quum villico factus esset iratior, *quo te modo, in-* quiebat, *accepissem, nisi iratus essem.*

¶ VI. Aequè liberum a metu animum iudex habeat. *Nec non metus.* Nam alia ille via defecit a recti tramite, siue partes litigantes pertimescat iudex, siue Praesidem forte iudicii, aut Adfessorem aliquem veteranum, praepollentem auctoritate, reformidet. Sed neque mollem animum, et ad miserendum alterius malis facilem, iudici condonant leges nostrae. *Et intempe-* Itane *stius miseri-* cordia. vero, inquis, a iudice, Viro bono, femouebis animi motum tam salutarem in ope ferenda, tam pronum ad subleuandas hominum miserorum calamitates? Omnino improbamus, si nimia fuerit misericordia, vel intempestiua. Nimia vero et intempestiua videbitur, si, dum reo parcitur, publica securitas in discrimen adducitur: atque ipsi homines scelesti ad maiora mox audenda inuitantur. Nec tamen plane defunt casus, quibus iudici misericordiam iura permittunt, vel

uti, si reus, qui mortem promeruit, artificio eximio insignis sit. Solet tunc adduci L. *Si ad bestias* 31. D. de Poenis, in qua de damnatis ad bestias, si eius roboris vel artificii sint, vt digne Populo Romano exhiberi possint, Praefes Prouinciae Principem consulere iubetur.

*De moderatione Iudicis vniuersim.*

§ VII. Quamuis autem iudici fuerit animus in solo iusti rectique studio defixus, et ab omni cupiditate praua et perturbatione purus ac liber; opus tamen est praeterea, vt in ipso modo exercendi officii, illam sagacitatem, atque in toto vitae habitu, moderationem illam, et aptitudinem exhibeat, quam Leges INGENII nomine ab eo exigunt. Vti gestiens laetitia, qua se ostentare iuuenes solent, non congruit grauitati iudicis, sic et triste supercilium abesse velim. Male locum in Curia, aut Consilio tuebitur iudex, si prodeat, vt ille apud Gellium, \*) *rictu oris, labiorumque ductu, contemni a se ostendens, et rem, de qua quaeratur, et hominem ipsum, qui quaerat.* Sed nec illam seueritatem L. Cassii Praetoris laudabo, ob quam tribunal eius *Scopulus Reorum* vocatum est.

\*) *Noct. Art. L. XVIII. c. 4.*



est. \*) Comitatem, facilitatemque in iudice, immo magistratu, etiam lex exigit: estque omnino publice utile, et iucundum, si placidos aditus habent iudices, si iustitiam illorum, grauitatem, comitatem in secessu quoque, vbi haec maxime recluduntur, inspicere datum est ciuibus. Quum vero non desint homines, qui immoderate et ingrate facilitate nostra abutantur, ideo lex exigit ingenium iudicis, ne per facilitatem eam se contemnendum praebet. Quemadmodum de Claudio Caesare prodit SVETONIVS: \*\*) *adeo caussidicos patientia eius abuti solitos, vt descendentem e tribunali non solum voce reuocarent, sed et lacinia togae retenta, interdum pede apprehenso, retinerent.*

VIII. Videamus iam quod Iudicis ingenium, in illa Peritia legum  
in Iudice. officii parte quae ad Iurisdictionem ipsam pertinet, exigatur. Ante omnia quidem opus est vt leges, et consuetudines forique genium nouerit. Apud Romanos si errore lapsus iudex,

B 3

aut

\*) VAL. MAXIMVS L. III. c. 7. 9.

\*\*) *In Vita* cap. 15.

aut vafritie oratorum circumscriptus, male iudicasset, in causa non dubia, id quod aequum et bonum videretur, praestabat salua existimatione ei, qui aut noluiſſet, aut propter paupertatem non potuiſſet appellare. Salua inquam existimatione: quum e contrario infamis fieret, et integram aestimationem litis in iudicium deductae solueret, qui male iudicasset dolo malo. Qua de re plura affert BRISSONIVS, in *Lexico Iuris*, ad verba *Litem quoque suam Iudex fecisse videtur*; Sed quae illaudato Auctore, TVRNEBO *Aduersar. Lib. XIX. cap. 26.* sublegisse deprehensus est. Similem olim et apud Massilienses viguisse legem, ex LVCIANI apologo apparet, \*) quo Menecrates, facultatibus suis omnibus, ob sententiam iniquam dolo latam, multatur et infamia notatur.

*Quid sit cum  
Ingenio ius di-  
cere. De sele-  
ctu legum.*

IX. Sed dicatur Iudex peritus legum, quantum abest ut cum ingenio ius dicere valeat, (quod de Claudio L. 109. D. de Cond. et demonstr. praedicat) in Imperio Romano-Germanico, vbi tanta Iurium est diuersitas? Naturale quidem

\*) in Toxari, f. de Amicitia.

quidem est, singula negotia ad fontes suos reducere, et quae Romanae originis sunt, diiudicare ex Romanis legibus, quae ex moribus Germanorum fluxerunt, ex gentium Germanicarum institutis dirimere: consuetudines vero, ad quas toties prouocatur, non nisi bene probatas, admittere. Parum autem peritia valebit, nisi sagacitatem illam ad Tribunal attulerit Iudex, quae inuenire statim momenta decisionum, et praescindere modos protelandae litis queat. Nec fucum sibi fieri finet per libellos memoriales, et vt in ciuilibus caussis sollicitus est, vt suo quilibet iure fruatur, ita, postulante id publica securitate, in criminibus inuestigandis solertem et alacrem, in puniendis imperterritum, se praebabit.

X. Dicerem hic de Antinomiis, nisi illae subtilissimas *De collisione legum.* tantum et ab vsu hodierno fere remotas Iuris partes infestare viderentur; et ideo viro Pragmatico parum inde immineret periculi. Plerasque praeterea iam soluit IOANNES MERCERVS in *Conciliatore legum.*

Longe

*De obseruan-  
tiis.* Longe aliis curis iudices distinentur. Accidit enim quoti-  
die, vt in rebus praesentissimi vsus, dum adfunt vtrinque ratio-  
nes in speciem validae, et ex media vita ciuili petitae, Affesso-  
rum suffragia aduersa fronte committantur. Tum vero quic-  
quid ex dissensu impedimenti nascitur, id commode dispelli-  
tur *per obseruantias Curiae*. Neque immerito. Quum enim  
innumerae essent iuris controersiae, -necessè fuit, vt iudices  
publicae securitatis et aequalis responsionis de iure studiosi,  
experientia magistra, seligerent, quae in casibus dubiis ad  
hunc finem obtinendum viderentur idonea.

*De studio re-  
formandi in  
iure.*

XI. Neque temere, neque praecipiti impetu conuel-  
lendae sunt eiusmodi obseruantiae. Et in vniuersum tempera-  
bit sibi iudex a nimio studio reformandi: per quod eo deuen-  
tum est, vt iustitia multis iam non amplius videatur constans  
et perpetua voluntas suum cuique tribuendi, sed inconstans,

*Quid permit-  
tatur in  
emendatione  
legum?*

vaga, et anceps ratio miscendi negotia ciuilia. Quodsi ta-  
men Iudex legem, aut consuetudinem aliquam nimis duram,  
incongruam, aut publice noxiam inueniat, de abolen-  
da illa, vel mitiganda, decenter laborabit apud Principem.

Ita

Ita, si tibi forte viget consuetudo, ut bona naufragorum in littore inuenta, aut mari extracta, Fisco addicantur, et crudele iudici videatur, ultra naufragium fauere velle, et illos ad dispendia cogere, quibus vix inopem vitam fluctus reliquerunt, laudabimus consilium, si maiorem Iuris Romani aequitatem Principi commendauerit, quo per Authenticam, *Naufragia* post L. 18. C. de *Furtis*, bona naufragorum Fisco addici prohibentur.

Hae sunt virtutes, et artes illae, ILLUSTRISSIME COMES, quibus Iudices, et quotquot in Republica versantur, non modo integritatis, et peritiae, sed *Ingenii* etiam laudem consequuntur. Quid iam non de Te, et Illustriss. Fratre Tuo, Leopoldo Maria, qui anno praeterito Musis Lipsiensibus valedixit, speremus? Didicistis, mea quaecunque opera, *Ius Vniuersale*, quod, quia femina eius hominum mentibus insita sunt, etiam NATVRAE et GENTIVM vocatur: et cum *Historia Iuris Romani et Germanici*, Ius ipsum *Romanum*, adiectis nobilioribus differentiis *Iuris Germanici*, non solum qua parte Institutionibus Iustiniani continetur, sed etiam quod in latio-

ri *Pandectarum* tractatione doceri solet. Accessit exercitatio in Stylo Curiae, quo comite ex usu vitae ciuili ciuilia exprimuntur negotia. Quoties autem in priuatis Disputationibus nostris, siue Contradictoris, siue Defensoris munere fungeremini, rem strenue, acute, et cum singulari animi praesentia egistis. Ne iam hic commemoranda studia Iuris Publici, et Feudalis, nec non Historiarum, et omnis liberalis disciplinae, quibus apud fratrem meum, aliosque clarissimos Viros, summa cum alacritate, et laude, operam nauastis. In moribus Vestris omnique vitae habitu, eluxit digna plane summo generis Vestri splendore indoles, ut adeo plane confidere liceat, futurum aliquando, ubi ad Rempublicam accesseritis, ut *dignitatem augeatis ingenio*. Sed his votis nostris facile annuet Deus. Vos modo, dum stadium vitae longaeuae, nexis per continua vincula felicitatibus emetimini, mei quoque sinceri in Vos amoris, et indefessi studii, seruate memoriam. Dabam Lipsiae VI. Id. Mai. An. MDCCL.










AB 52  $\frac{16}{R, 29}$

X 231 0673





2

D. GOTTFRIDI MASCOVII  
IVR. NAT. ET GENT. P. P. ORD.  
DE  
INGENIO IVDICIS

EPISTOLA

*occasione L. 9. §. 2. D. de Offic. Proconsf. et L. 19. D.  
de Offic. Praef.*

---

AD ILLVSTRISS. DOMINVM  
IOANNEM VIGILIVM S. R. I. COMITEM  
DE THVNN ET HOCHENSTEIN ETC.

E LIPSIENSI ACADEMIA

ABEVNTEM.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.